

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1792

**Auteur(s) :** Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :**

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1255, juillet

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Charte d'Eudes, archevêque de Rouen, concernant l'archidiaconé de Pontoise.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 535, p. 95-96.

b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, n° XXXV, col. 33-34.

Texte établi d'après b

Frater Odo, permissione divina Rotomagensis ecclesie minister indignus. Notum facimus quod cum excellentissimus dominus Ludovicus, Dei gratia rex Francorum illustris, archidiaconatum Pontisarensem, ex resignatione venerabilis viri magistri Haymonis quondam archidiaconi dicti loci, liberum et vacantem cum omni integritate ac plenitudine juris ac jurisdictionis, ceterorumque omnium pertinentium ad archidiaconatum eundem, cujus archidiaconatus cum suis pertinentiis ad eundem regem collatio pertinebat, ad honorem Dei et beatæ Mariæ virginis ecclesie Rotomagensis, et nobis ipsius ecclesie curam gerentibus pastorem, contulerit intuitu pietatis a nobis et nostris successoribus in perpetuum libere ac pacifice possidendum, nosque investierit de eodem, omnia ipsius archidiaconatus jura et jurisdictionem, ceteraque omnia ad ipsum archidiaconatum pertinentia, in nos et Rotomagensem ecclesiam totaliter transferendo ; Nos eidem domino regi illustrissimo promissimus et promittimus bona fide, nostro Rotomagensi capitulo consentiente et etiam approbante, quod nos et successores nostri qui pro tempore fuerint, deputabimus certam personam, quæ tenebitur facere apud Pontisaram residentiam personalem, videlicet infra muros castri Pontisaræ in parochia sanctæ Mariæ Pontisarenensis, vel apud sanctum Martinum Pontisarensem, in illo loco de prædictis, in quo maluerimus nos vel nostri qui pro tempore fuerint successores, et in aliquo dictorum locorum cognoscat de omnibus causis Burgensium Pontisarensem, per simplicem querimoniam conveniendorum ad forum ecclesiasticum pertinentibus, ipsasque decideret ibidem : exceptis causis super criminibus hæreseos et falsi ; de quibus coram nobis et successoribus nostris vel officiali Rotomag. et non coram prædicta persona, per simplicem querimoniam respondebunt ; de causis vero aliis, non poterunt extra prædicta loca, coram nobis vel nostris successoribus, vel alia quacumque persona vices nostras, vel alicujus successorum nostrorum gerente per simplicem querimoniam conveniri. Poterunt tamen dicti Burgenses, vel contra ipsos litigantes, a dicta persona in omnibus causis ad ejus forum spectantibus, tam a gravaminibus quam a sententiis, ad nos successoresque nostros qui pro tempore fuerint, et ad officialem Rotomagensem licite ac libere appellare. Nos autem et successores

nostri, prædictaque persona, tenebimur dictis burgensibus observare eorum consuetudines rationabiles et antiquas. Nos vero Rotomagense capitulum consentimus dictæ permissioni, a memorato reverendo patre factæ, eamdem prout est expressa superius approbantes. In cujus rei testimonium nos archiepiscopus et capitulum prædicti sigilla nostra præsentibus literis duximus apponenda. Datum anno Domini M. CCLV, mense Julio.